

gregatione generali perlegenda proclamabuntur in sessione ultima Concilii, die sequenti tenenda.

Hora undecima cum quadrante recedunt Patres.

*Sexta Congregatio generalis.*

Eadem die, hora tertia post meridiem adfuerunt, cum theologis et officiariis, Patres Concilii, excepto reverendissimo Episcopo Marianopolitanensi cui, ob rem gravem, bonum dicti Concilii spectantem, data est facultas præsentem congregationem non adeundi; aberat etiam reverendus G. N. Besserer, qui propter legitimam causam licentiam habuit ad parochiam suam redeundi.

Fit relatio præcedentis congregationis generalis.

Leguntur decreta *de Juramento* et *de Parochis et aliis animarum curam gerentibus*, quæ, de jussu Patrum, sunt in ultima sessione promulganda.

Hora quinta recedunt omnes.

*Nona Congregatio privata.*

Eadem die hora octava cum dimidia post meridiem, conveniunt Patres.

Leguntur et admittuntur acta præcedentis congregationis privatæ necnon et sextæ congregationis generalis.

Summa facultatum a S. Sede postulandarum admittitur, et instructio datur secretariis supplicem libellum ad hoc præparandi.

Decernitur quod a S. Sede sequentes gratiæ postulabuntur:—1. Ut in diœcesibus Kingstoniensi, Torontina et